105. e. 4.

HENRICI HOOGEVEEN

OPUS POSTUMUM,

EXHIBENS

DICTIONARIUM ANALOGICUM

LINGUÆ GRÆCÆ.

LECTORI ΦΙΛΕΝΝΗΝΙ

S. P. D.

JANUS HOOGEVEEN.

INTER cætera opera Patris mei defuncti, hactenus inedita*, in ejus Muſæo inveni illud opus auctoris poſtumum, cujus titulum fronti præfixum vides; nempe DICTIONARIUM ANALOGICUM linguæ Græcæ, continens ultra ſeptuaginta quinque mille vocabula, ordine Analogico diſpoſita. Quale opus, quantum ſcio, etiamnum deſiderat orbis eruditus.

In privatos quidem uſus auctor illud per aliquot annos ſibi ſoli reſervavit verumtamen hac mente, ut aliquando juris publici fieret, quippe in utilitatem publicam elucubratum.

Hoc

* In quibus Supplementum Particularum linguæ Græcæ, Commentarius perpetuus in vitam Julii Cæſaris, a Suetonio conſcriptam, ut et alter in Æliani V. H. inſuper auctoris dictata in Antiquitates Græcas; ejuſdem Animadverſiones ad loca Fœderis Novi difficiliora; ad hæc Forum Socraticum, ſive Apologia Poëtarum contra Platonem, xviii libris contenta, carmine Elegiaco expreſſa, notiſque, pleriſque Græcis illuſtrata: alia denique opera ejus poëtica, ſingulari volumine Elegiarum, Lyricorum, Epigrammatum, carminumque puerilium ſylvam continentia. His accedunt defuncti parentis *Horæ Bredanæ*, ſive Collegium tripartitum de doctrina *Sphærica*, *Quadrantis* et *Gnomonica*. Inveni et ſyllogen novarum Obſervationum ad Franc. Vigeri libellum de Idiotiſmis Græcorum, adeo amplam, ut Editio quarta iis facile adornari et ditari poſſit, ut primum generoſiſſimis Britannis, interioris doctrinæ tum cultoribus, tum fautoribus optimis, id ipſum placuerit.

Hoc vero conſilium cum jamjam exequeretur, in procinctu ſtantem ſenem octogenarium importuna mors intercepit, effectumque decreti irritum reddidit.

Cum interim

ultima defuncti ſit ſacroſancta voluntas,

præſertim filio, poſtremum hoc genitoris opus, fato urnæque ſepulchrali velut ereptum, in adſpectum lucemque proferre conſtitui.

Quo autem exactius de natura ipſius operis fieri poſſit judicium, examini publico ſubmittam hîc nonnulla ejus ſpecimina, è quibus judicent eruditi, quos uſus ferat, quantumque commodi literis Græcis propagandis allaturum ſit Dictionarium illud Analogicum, publicæ luci committendum.

Cum vero Verborum, Nominum, et Adverbiorum terminationibus Analogicis inſint ſingulares et certæ quædam ſignificationes, quæ per univerſum linguæ Græcæ campum dominantur, exemplis, ex opere paterno ſubjungendis, præmittam regulas generales, ad quas, tanquam ad lapidem Lydium, juſtis rerum æſtimatoribus examinanda erit ſeries vocabulorum rationem Analogicam ſequentium.

Ducamus itaque lineam a verbis exeuntibus vel in ιάζειν, vel in ίζειν, iiſque præfigamus regulas, ſeu canones generales.

I. ά Verba Græcorum μιμητικὰ, ſive *imitativa*, quibus aut gentium ritus moreſve, aut hominum affectus aut conſueta natura exprimuntur, et quæ ſimul vim vicemque adagiorum obtinent, ab ipſis variarum gentium nominibus deducta, plerumque deſinunt

vel in — ιάζειν, ex. gr.

Αἰγυπτιάζειν,	id eſt	Ægyptiorum	more	verſute agere.
Ἀναπαριάζειν,		Pariorum		fœdifragum eſſe.
Βοιωτιάζειν,		Bœotorum		vociferari
Δωριάζειν,		Doricæ		puellæ, pellucidâ veſte uti.
Ἰσθμιάζειν,		Iſthmiis ludis		conſueto intemperantius vivere.
Κλειτοριάζειν,		Libidinoſorum		mulierem contrectare.
Κορινθιάζειν,		Corinthiorum		ſcortari.
Λεσβιάζειν,		Leſbiorum		libidinibus ſe polluere.
Λυδιάζειν,		Lydorum		effœminate vivere.

vel

vel in — ίζειν, ex. gr.

Ἀποσκυθίζειν,	id eſt	Scytharum	more ignominioſe tractare.
Ἀρχαΐζειν,		Antiquorum	loqui, vel agere.
Βεργαΐζειν,		Bergæorum	nihil ſani proferre.
Βαταλίζειν,		Batali	turpiter et effœminate vivere.
Ἑβραΐζειν,		Hebræorum	loqui, vel vitam agere.
Ἑλληνίζειν,		Græcorum	loqui, item largius æquo potare.
Δωρίζειν,		Dorico	canere.
Κιλικίζειν,		Cilicum	vindictæ acriori indulgere.
Κοιλοφθαλμίζειν,		Curioſorum	concavis oculorum ſinibus intueri.
Κρητίζειν,		Cretenſium	mendaciis uti.
Λακωνίζειν,		Laconum	breviori ſtylo ſtudere.
Συβαρίζειν,		Sybaritarum	luxurioſe vivere.
Φαιακίζειν,		Phæacum	vitæ deliciis diffluere.
Φοινικίζειν,		Phœnicum	infandâ libidine agi.
Χαλκιδίζειν,		Chalcidenſium	lucro inhiare.

II. Idem obtinet in verbis deſignantibus vel privati regis partes, quibus adhæremus, vel ſectam philoſophicam, cui adſpiramus; ex. gr.

Ἀλεξανδρίζειν,	id eſt	Alexandri	partibus vel ſectæ philoſophicæ addictum eſſe.
Φιλιππίζειν,		Philippi	
Κυνίζειν,		Cynicorum	
Πλατωνίζειν,		Platonis	
Πυθαγορίζειν,		Pythagoræ	

III. Quoties exprimitur aut vitium hominis ſingulare, aut etiam rei, quod imitamur; ex. gr.

Ἰαμβίζειν, i. e. Jambes more maledicere.
Σινωπίζειν, —- Sinopes — ſcortando ſe perdere.
Ἰαλεμίζειν, —- frigida et miſerabili dictione uti.
Λαρυγγίζειν, —- gutture dilatato vocem effundere.
Πυρριχίζειν, —- tripudiantium more tumultuari.

IV. Denique, quando aut ſonus, aut natura quorundam animalium, ut et avium exprimitur, aut verba, inde derivata, per adagiorum formam, homini applicantur; ex. gr. per ὀνοματοποιΐαν ſequentia:

γρυλλίζειν, grunnire; κακαβίζειν, glocire; πιππίζειν, pipire; χρεμετίζειν, hinnire, &c.

Naturam vero animalium exprimentia, homìnique ac commodanda, verba ſunto proxima, ut

Ἀποσκορακίζειν,		ad corvos abigere: de quo adagio conſulatur Eraſmus.
Ἀλωπεκίζειν et Βατταρίζειν,		vulpina fraude aliquem ſeducere.
Βατραχίζειν,	id eſt	in morem ranæ natare.
Ἐκπερδικίζειν,		perdicum aſtu caſſem effugere.
Ἀποθυννίζειν,		inſtar thynni (piſcis vilioris) aliquem temnere.
Κιχλίζειν,		inſtar turdi laſcivire.
Πιθηκίζειν,		more ſimii per adulationem fallere.
Πτερυγίζειν,		—— pulli, alas motantis, fruſtra quid tentare.
Γλαυκίζειν,		—— noctuæ obtuſis oculis videre.

β'. Verba in ίζειν aliquando notant actionem *ſimplicem*, ipſi perſonæ agenti *inhærentem*; qualia ſunt φροντίζω *curo*, ϛολίζω *veſtio*, ληΐζω *latrocinor*; ὁρίζω *termino*, σφαιρίζω *pilâ ludo*, &c.

γ. Sæpe notant actionem *tranſitivam*, ut γνωρίζω *notum reddo*; καθαρίζω *purifico*; σαφηνίζω *lucere facio*, ſive *illuſtro*; ξανθίζω *rufum colorem induco*, &c.

δ'. Alia ſunt *inchoativa* ut λευκαίνω, *albeo*, πορφυρίζω, *purpurasco*, ξανθίζω *flaveſco*; σαπρίζω *putreſco*; χλωρίζω *vireſco*, &c.

ε'. Dantur denique neutralia, ut σελαγίζω, *luceo*, ϛεναχίζω, *ingemiſco*; βαδίζω *eo*; κραιπαλίζω, *crapulor*; καθίζω *ſedeo*.

A verbis in ίζειν, ſpeciminis loco hactenus prolatis, tranſeamus jam ad nomina ſubſtantiva, terminata in —ήριον, iiſque præfigamus hanc regulam generalem quod plerumque ſignificant vel *locum*, vel *inſtrumentum*; ex. gr.

(a) *locum*, ut δεσμωτήριον, *carcer*; δικαςήριον *judicium*, ſeu *forum judiciale*; ἐργαςήριον, *officina*, ſeu *taberna*; κοιμητήριον, *dormitorium*, item locus, quo mortui ſepeliuntur; φυλακτήριον, *arx*; δειπνοτήριον, *cænaculum*; μοναςήριον, locus, ubi monachi degunt; βελευτήριον, locus publici conſilii, ſeu *curia*, &c.

(b) *Inſtrumentum*; ex. gr. καυτήριον, inſtrumentum, quo quid *inuritur*; θυσιαςήριον, *altare*; θυμιαςήριον, *thuribulum*; ποτήριον, *poculum*.

Idem

Idem obſervetur in nominibus ὀξυτόνοις, in ὼν terminatis, et a nominibus in ος et ον deſcendentibus, quæ itidem ſignificant aut *locum*, aut *inſtrumentum*:

α′ *locum*, cujus terminatio Latina eſt in — *etum*; ex. gr. à

Δένδρος *arbor*, naſcitur locus δενδρὼν, Latinis *arboretum*;
Θάμνος *frutex*, ——— —— θαμνὼν, ———*fruticetum*;
Ἄμπελος *vitis*, ——— —— ἀμπελὼν, —— *vinetum*;
Κόπρος *fimus*, ——— —— κοπρὼν, ——— *fimetum*;
Κοκκύμηλον *prunum* —— —— κοκκυμηλὼν, —— *prunetum*;
Κάϛανον *caſtanea* —— —— καϛανὼν, —— *caſtanetum*;
Μῆλον *pomum* ——— —— μηλὼν, ——— *pomarium*.

β. *inſtrumentum*, ſeu *cavea*, cui includitur quid, ut ab
Ὄρνις *avis*, ὀρνιθὼν *aviarium*; περιϛερὰ *columba*, περιϛερεὼν *columbarium*.

Feliciſſime quoque id ipſum, hoc eſt, utrumque, exprimitur compoſitis nominibus, deductis vel a verbo τρέφω *nutrio*, a cujus forma Media τέτροφα, abjecto augmento, remanet τρόφα, unde naſcitur ſubſtantivum τροφὴ *nutrimentum*, et hinc nomina compoſita, in εῖον finita, locumque deſignantia; ex. gr. ab eodem nomine ὄρνις *avis* deſcendit ὀρνιθοτροφεῖον *aviarium*; ὀρφανοτροφεῖον, locus, ubi parentibus orbi aluntur et educantur; χηνοτροφεῖον, *piſcina*, anſeribus alendis deſtinata.

Vel a præterito Medio νένομα verbi νέμω *paſco*, unde νομὴ *paſcuum*, et hinc compoſitum nomen in εῖον, ut denuo ab eodem nomine ὄρνις conflatur nomen ὀρνιθονομεῖον.

Vel a verbo ἔχω formata nomina, ut ξενοδοχεῖον *hoſpitium* et πανδοχεῖον commune *diverſorium*.

Vel denique a verbo κομέω *curo*; ut γεροντοκομεῖον locus, ubi ſenes curantur, νοσοκομεῖον, locus curandis ægris deſtinatus, qualem *valetudinarium* vocat Colum.

Juſto operis ſpecimini ne quid deſit, claudam illud nonnullis Adverbiis, rationem Analogicam itidem ſequentibus. Quoniam autem ſupra in exemplum protuli verba, in — ίζειν terminata, quibus regulas generales, a me poſitas, adſtruxi, eandem horum terminationem ſervemus in Adverbiis inde jam porro derivandis, et in — ιϛὶ exeuntibus, iiſque denuo præfigamus hunc canonem generalem, quod

Adverbia

Adverbia gravitona, in —ισὶ definentia, indicant morem, consuetudinemve alicujus gentis, et similitudinem involvunt, qualia sunt

Ἑβραϊσὶ	id est more	Hebraico	loqui vel agere.
Ἑλληνισὶ		Græco	
Δωρισὶ		Dorico	
Κρητισὶ		Cretico	
Ῥωμαϊσὶ		Romano	
Σκυθισὶ		Scythico	
Θρακισὶ		Thracio	

Eadem regula convenit Adverbiis gravitonis, in —δὸν finitis; ad quorum gregem pertinent proxima, ὁμοθυμαδὸν *unanimiter*; ἀγεληδὸν *gregatim*; ῥοιζηδὸν *more* seu *instar procellæ*; φυλαδὸν *in morem tribus*; κυνηδὸν *instar canis*; βοτρυδὸν more *racemi*; ῥαφανηδὸν *instar raphani*, &c.

Ex immensa vocabulorum copia, quibus scatet *Dictionarium* illud *Analogicum*, sufficerint præsentia, ut ex fœtu arborem cognoscas.

Operi Colophonem imposuit auctor ipse, cui ne quid deësset, Corollarii loco subjecit ejus calci seriem, sive syllogen duplicem

1° = vocabulorum CCLVIII, quæ ex thematibus vel plane incertis, vel ambiguis oriuntur, vel ἀνωμαλίαν patiuntur, et

2° = vocabulorum CCXI, duas syllabas, ab adspirata litera incipientes, conjungentium, quæ ordine non retrogrado, (qualis Analogorum est natura,) sed juxta ordinem literarum initialem conspiciuntur.

Unicum totius exercitûs vocabulum, tres syllabas, ab adspirata litera incipientes habens, et integrum agmen, simulque opus paternum claudens, est ῥυχάχετος *tumultus* apud Aristophanem *.

Eruditis

* Exemplis, ex opere Analogico supra allatis, adjeci quidem versionem Latinam; verum enimvero, ut candide agam, præmonendus est lector ipse candidus, ut ne inde tacitâ conjecturâ colligat, singulis vocabulis additam esse in Dictionario interpretationem e Latio petitam, cum opus integrum ab ipso limine ad finem usque nihil aliud quam Græca vocabula spiret, ordine analogico in aciem disposita, adjectâ nullibi versione, quam Lectoribus eruditis reliquisse auctorem hac solâ de causâ conjicio, ne opus ipsum nimiâ mole laboraret, gravioresque simul impensas exigeret. Hunc interim defectum (si nomen istud mereatur) abunde supplere poterit Lector opusculo sane eximio Philippi Cattieri, paginis ad summum XXV (si Frid. Lud. Abresch Auctarium exceperit) continente Gazophylacium Græcorum, sive methodum admirabilem ad insignem verborum copiam brevi compa-

Impenſis Academiæ Cantabrigienſis Actutum prælo ſubjicietur opus, cui exornando præfigere ſtatui *tum auctoris ipſius graphice depicti effigiem, tum* Auctoris vitam, ab ipſomet conſcriptam; ita tamen, ut pretium ſingulorum Exemplarium, a Subſcriptoribus perſolvendum, ab Academiâ conſtituatur.

Cum vero Academia juſtum operis pretium non niſi opere ad finem perducto ſtatuere poſſit, eruditis proponit editor, ut ſubſcriptorum quiſque pro ſingulis exemplaribus in anteceſſum deponat aureum integrum *(a guinea)*, et fidem faciat ſe, accepto operis exemplari, quidquid Academia æquum judicaverit adjecturum.

Subſcriptionis pretium deponi poterit in manus alterutrius bibliopolæ, Petri Elmſley in vico dicto *(the Strand)*, vel Thom. Payne prope Regis Stabulum, vel J. & J. Merrill, Cantab.

Autographum ipſum continet paginas DCCXCV, iiſque forma datur maxima; at typo excudetur pari formâ, qua vocabula Græca in hac ſchedulâ exhibentur.

Nomina virorum eruditorum, quotquot poſtumum hoc auctoris opus favore ſuo et publica luce dignum judicaverint, in animi grati teſtimonium, ordine alphabetico operis frontem condecorabunt.

Subſcribi deinque illorum nomina poſſunt Londini apud

Omnibus explicitis, Lector amice, vale!

comparandam. Quod opuſculum Trajecti ad Rhenum prodiit apud Abrah. van Paddenburg a ≙ clɔlɔccLvii.

Nimirum Gallicus auctor in aureo illo tractatu (titulum licet magnificum, veraciſſimum tamen ferente) regulas tradit generales, ſingulis vocabulorum terminationibus inſervientes, quas qui noverit, næ ille ſtatim genuinam ſignificationem applicare poterit cuivis vocabulo, certæ legi analogicæ adſtructo, et inſignem mox experietur uſum Dictionarii Analogici, eidem fundamento plane innixi, adeo ut verſionem Latinam ultra deſideraturus non ſit.

Si ipſum denique patris defuncti ἀυτόγραφον, literis majuſculis conſcriptum, minoribus typi characteribus imprimatur, ſpatiumque inter regulas ſingulas paululum contrahatur, paginæ, ut conjicio, exibunt quingentæ, adeo ut integrum opus hoc pacto intra contractiores unius voluminis cancellos conſiſtere poſſit, foliis quadripartitis imprimendum.

Mr De Luc brought this Brochure from
Dr Higgins with the desire it should be delivered to Mr Barnard
with the view of subscribing for a Copy
Library for Mr Lyons Copy